DE OPERATIONIBUS OPHTHALMIATRICIS VETERUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS HISTORICO-OPHTHALMIATRICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE XXII. M. MARTII A. MDCCCXXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

ALEXANDER GUILELMUS GROSS
PETROWALDAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
A. MUELLER, MED. ET CHIR. DR.
F. QUIRING, MED ET CHIR. DD.
G. LEUSCHNER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

ERNESTO GROSS

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

ERNESTO GROSS

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

GRATISSIMUS FILIUS.

PROLEGOMENA.

Vestigia prima artis ophthalmiatricae, sicuti omnium scientiarum, apud Aegyptios inveniuntur, quod alii e corporis mollitie, alii e majore cultu et singulari omnium disciplinarum studio derivant. In arte ophthalmiatrica tractanda partim terrae situ, partim climate modoque vivendi, praecipue vero Nili inundationibus, quae oculorum morbos atrocissimos, per secula ad hodiernum usque diem homines cruciantes provocarunt, Aegyptiorum diligentia summa excitata est. Aegyptiorum enim gloria in arte ophthalmiatrica tanta fuit, ut etiam aliis gentibus nota esset, quod multa exempla probant. Sic Herodoto referente 1) Cyrus ad Amasin, Aegyptiorum regem nuntios, qui ab eo optimum et peritissimum medicum ocularium peterent, misit. Ars medica a sacerdotibus Aegyptiacis exercebatur sicut adhuc a Braminis in India perpetratur. Scripta eorum ad nostra tempora non pervenerunt.

Majoris, imo maximi momenti sunt nuntii, a Graecis ad nos perlati. — Chiron, Centaurus Thessalus, secula fere duodecim ante Christum vivens, quem beneficum generis humani colunt, in curandis oculorum morbis etiam laudatus est. Aesculapius, discipulus ejus, coecos ab omnibus insanabiles habitos curasse dicitur. Ex illo tempore forsan deducenda

1) Herodot. lib. III. c. I.

est origo operationis cujusdam, circa oculos institutae; Apollo enim aegroto cuidam oculum, quem operatione curare voluit, effodisse dicitur.

Majora autem universa ars medendi, praecipue ea pars, quae oculos adfectos curandi rationem docet, accepit augmenta ex more in templis Deorum exponendi aegrotos omnis generis; quia post morbos feliciter superatos optima medicamenta Diis dedicata et in templis formulae remediorum et praescripta ad parationem columnis insculpta, aut templi parietibus aliisve locis aptis affixa sunt, ut eorum utilitas divulgaretur. Ex illo tempore notitia remediorum multorum nobiscum communicata est. Multum vero ad artis medicae partem, quae oculis medetur, in Graecia colendam illud contulit, quod Lycurgus 1) in Minervae Ophthalmitidis s. Optiletis honorem ex grato animo templum aedificavit. Xenophon 2) memorat, ophthalmiam quandam, quae redeuntibus Graecis ex frigore insolito et campis nive splendentibus supervenerat, multos milites abstulisse. — In segreganda chirurgia et medicina Alexandriae medici ocularii primum commemorantur. In praedictionibus Coacis ophthalmia epidemica maligna, quae prolopsum oculi, coecitatem mortemque inducebat, describitur. Hippocrates Cous, primus quidem omnium memoriae dignus, de morbis oculorum, περὶ ὄψεως primum scripsit; attamen tempus illud anatomiae oculi penitiori notitia caruit. — Herophilus Chalcedonius anatomiam valde locupletavit; tunicam retinam primus descripsit. Demosthenes Philalethes libri classici de arte opthalmiatrica auctor est et Theophrastus libros quatuor περὶ ὄψιος confecisse dicitur. Celsus 3) eorum laudans collyria, plures memorat ophthalmiatros: Nileum, Heraclidem Tarentinum, Philonem,

1) Pausan. Lacon. III. c. 18.
2) Anabas. lib. IV. c. 5.
3) Celsus de medicina libr. VII.

Dionysium, Euelpidem, quem maximum medicum ocularium nominat, Cleonem, Philetem et alios, qui omnes artem ophthalmiatricam exercebant. — Libri Celsi de medicina uberrimum fontem exhibent ad comptendam oculi vitiorum, veteribus notorum, historiam. Ex iis enim praeclare videmus, artem ophthalmiatricam jam ad magnum perfectionis gradum fuisse evectam. Rufus Ephesius structuram oculi post Herophilum accuratissime describit. — Claudius Galenus, qui universam rem medicam quam maxime auxit, cognitionem autem oculi non minus illustravit, oculi naturam et interiorem structuram ejusque partes multo melius et cautius, quam antecessores, dignovit. Theodotius Severus hanc cognitionem ad majorem perfectionis gradum evexit, qui e. g. membranam conjunctivam accuratissime descripsit et corneae lamellas animadvertit; quibus cognitis mox ’ονύχιον ab ὑποπύῳ melius distinguebatur. Antyllus descriptione methodi ad cataractam extrahendam aeterna memoria dignus evasit. — Observatio vitii oculorum rari, scilicet trichiasis conjunctivae, etiam Aëtium, qui praecipue eximias observationes Theodotii Severi ad morbos oculorum curandos adaptavit, egregium medicum ocularium fuisse demonstrat. Ab hoc tempore ars opthalmiatrica, sicut omnes scientiae, magis magisque lapsa est; tantum Alexander Trallianus et Paulus Aegineta, qui tamen Aëtium non assequebantur, sed ex libris Galeni, Justi et aliorum collectanea tantum fecerunt, memorandi sunt. —

Quamvis ars ophthalmiatrica veterum perversis notionibus, implicatur, ea tamen est scientia, quae omnium maxime exculta erat; praecipue vero pars chirurgica ad eum perfectionis gradum evecta est, ut multae operandi methodi partim adhuc eodem modo instituantur, partim chirurgis omnis aevi operationis quasi normam praebuerint.

I. OPHTHALMOXYSIS, BLEPHAROXYSIS.

Hippocrates 1) operationem primus describit; palpebras enim abradit extenuatque in parte interna. Palpebras radere oportet spinis atraktylis, (Carthamus leucocaulus) lana Milesia, crispa, pura circumvolutis, ipsam oculi corneam vitare, ne penetres ad cartilaginem usque. Indicium est autem, quando satis sit rasurae, nisi amplius sincerus sanguis egreditur, sed ichor sanguinolentus aut aquosus. Tunc vero liquido quodam medicamento, in quo flos aeris in est, confricari convenit. Ex illis elucet, Hippocratem interdum etiam conjunctivam scleroticae scarificasse. Ubi vero palpebrae crassiores sunt, aliquantulum partis earum internae excidere, dein ciliis vitatis adurere suadet. Quae scarificatio oculi ab Hippocrate et aliis medicis palpebris scabris, callositate et grassitie praeternaturali palpebrarum praesentibus, quae blennorrhoeas oculi sequi solent, commendatur. Blepharoxysin Hippocraticam, jam dudum oblivioni traditam, Alexander Trallianus 2) denuo in usum vocat et partem palpebrarum scabrarum internam apice specilli, foliis ficus, osse sepiae, pumice et aliis confricari atque callositate remota, ulcera ad sanationem perduci jubet. Paulus Aegineta 3) etiam palpebras confricari pumice vel osse sepiae, vel instrumento proprio, blepharoxystron nominato, in trachomate, sycosi et tylosi, quae vitia gradum tantum callositatis palpebrarum significant, suadet.

II. INCISIO ABSCESSUUM. —

1) HORDEOLUM.

Ex similitudine cum hordei grano Graecis κριθὴ nomina

1) De visu c. 4. p. 40.
2) Alexandr. Tralliani Opp. (ed. Basil. 1556) L. II. c. 6.
3) Paul. Aeginet. Opp. L. III. (ed. Basil. 1538.)

tum. Hippocrates1) qui observasse videtur, hordeolum in supparationem transire, quinto vel sexto die pure effuso morbum finitum esse dicit. Celsus 2) qui id tuberculum super pilorum locum nascens nominat, curationem optime exponit. Quodsi tunica ejus pane calido vel cera calefacta fovetur, fit ut hac ratione saepe discutiatur, interdum vero in suppurationem transeat. Si pus se ostendit scalpello incidi idque exprimi, deinde fomenta imponi debent, donec ad sanitatem pervenit. Paulus Aegineta3) hordeolum etiam abscessum in palpebra appellat. —

2) HYPOPYON.

Hunc morbum veteres modo cum pterygio, modo cum ungue confundebant, morbisque diversissimis, πτερυγίῳ quod Celsus unguem appellat, et ὑποπύῳ et ὄνυχι, eandem imponebant denominationem. A recentioribus auctoribus ὑπόπυον in spurium, i. e. puris accumulationem in cameris oculi, et verum, i. e. abscessum inflammatorium bulbi oculi totius dividitur; ὄνυξ, seu unguis, abscessus congestivus in cornea appellatur. Hippocrates4) hypopya in oculis memorat. Dubia quoque est hypopyi definitio Galeni, comparat enim illud cum suffusione et initio, inquit, ut cataracta, saepe discutitur.

Simul Galenus 5) tradidit, medicum fuisse ocularium, Justum nomine, qui in hypopyo curando caput succusserit et punctione pus deorsum derivaverit Galenus ipse corneam incisam hypopyo mederi exponit Ex illis tamen satis elucet, Galenum hypopyum, puris accumulationem in aqueo humore intra cameram oculi anteriorem, non vero onychem, ubi pus

1) De morb. vulg. S. VII. 11.
2) De medicina lib. VII. c. 7. 2.
3) P. Aegineta. l. c.
4) Hipp. de morb. intern. I. II. p. 211.
5) Gal. de meth. med. XIV. 19.

inter corneae laminas subsidet, cognovisse. Ab Apollonio Aphrodisiaco etiam et Archigene Apomaeo aliisque plurima medicamenta ad hypopyon tollendum laudata apud Galenum inveniuntur.

Longe accuratius utrumque vitium distinguit quod πυώσεως nomine communi describit Aëtius 1). Suppurationes enim, inquit, variis nominibus significantur; onyx enim illud vitium appellatur, si pus ex profundo ulcere effluit et intra corneae lamellas haeret; hypopyum autem, ubi pus sub cornea accumulatum est, quod plerumque ex ophthalmia praegressa, vel ex sanguine in oculo e vasis ruptis profuso et tunc in pus mutato, provenit. Aëtius etiam methodum Justi hypopyum curandi, scilicet succusionem capitis memorat; si vero alia medicamenta auxilium non ferunt, corneam aperit acu. Praeterea tradidit, abscessus inter laminas corneae tantum periculosos esse, si profundius subsideant, dum pus intus facile expleatur et prolapsus iridis et fluidorum oculi provocetur. Paulus Aegineta 2), quamquam vitia oculorum accurate describens iterum utrumque morbum, et hypopyum et onychem, confundit; hypogyum removit, ut Galenus.

III. SUTURA VULNERUM CRUENTA CIRCA OCULOS.

Ad partes dissectas sutura cruenta uniendas tam frequens occasio quocunque tempore oblata est ut jam a veteribus eam in usum vocatam videamus atque methodos varias, quae adhuc valent, inveniamus. Hippocrates 3) primus fuisse videtur, qui ad trichiasin tollendam suturam commendaret. Attamen opinari licet, jam ante Hippocratem suturam a chirurgis ap-

---

1) Aëtius Tetrab. II. Serm. VII. c. 30. p. 127.
2) Paul. Aegines. l. c.
3) Hippocr. de diaeta in acutis, sect. IV. p. 406.

plicatam esse. Praecipue vero in libris Celsi 1) modum legimus, quo in trichiasi et entropio tractandis, ut infra exponam, orae vulneris sutura committantur. Galenus locis variis suturam cruentam, e. g. in trachomate palpebrarum, parte aliqua excisa, commendat. — Antyllus 2) in ectropio curando, parte cutis in latere interna palpebrae excisa, suturam adhibuit. Aëtius 3) in entropio quinque, Paulus Aegineta 4) tres vel quatuor suturas ad reunionem perficiendam cruentam commendaverunt. —

IV. EXSTIRPATIO CHALAZII.

Chalazia, ut Celsus 5) tradidit, sunt tubercula in palpebris hordeolo non dissimilia, et mobilia simulatque digito huc vel illuc impelluntur. Dictus vero auctor tumorem potius cysticum palpebrae, quam chalazion, quod recentiores hordeolum chronicum induratum, magnitudine auctum, appellant, descripsisse mihi videtur. Methodus curandi etiam, qua Celsus chalazia, si sub cute sunt, ab exteriore parte, si sub cartilagine, ab interiori incidere et deinde scalpelli manubriolo ab integris partibus diducere suadet, sententiam meam confirmat; tumor cysticus enim manubriolo scalpelli enucleari potest, sed non chalazion. Galenus 6) chalazion, tumorem crassum in parte palpebrae interna appellans, semper excidi, nunquam discuti jubet. Aëtius 7) et Paulus Aegineta 8) eodem modo chalazia curant.

---

1) Celsi de med. lib. VII. cap. 7. 8.
2) Aëtius Tetrab II. Serm. III. c. 70. p. 488,
3) Aet. l. c. cap. 25—81.
4) Paul. Aeg. l. c.
5) Cels. d. med. lib. VII. c. 7. 3.
6) Galen. de oculo c. 9.
7) Aët. Tetrab. VII. 83.
8) P. Aeg. l. c.

V. EXSTIRPATIO TUMORUM CYSTICORUM.

Tumores cystici, a veteribus vesicae nominati, praecipue in superioribus palpebris magni, qui vix attolli oculos patiuntur et fluxum assiduum pituitae movent, a laudato Celso 1) egregie describuntur. Quid igitur significet chalazion, quod etiam, ut supra exposui, tumor cysticus esse videtur, non intelligo. Oportet, Celsus scribit, compresso digitis duobus oculo atque ita cute intenta scalpello transversam lineam incidere, suspensa leviter manu, ne vesica ipsa vulneretur, deinde eam apprehendere et evellere, quae nunc facile sequitur; vulnus paucissimis diebus ad cicatrisationem perducitur. Difficilior est, ubi vesica incisa est, quia tunica ejus postea non extrahi potest, sed medicamentis pus moventibus exstinguatur oportet. Galenus 2) esivcas minores exsiccandas, majores vero excidendas esse dicit. Aëtius 3) etiam tumores cysticos minores per caustica exstinguendos, majores autem caute ita excidendos esse docet, ut nulla pars cutis destruatur. Paulus Aegineta 4) operationem Celsianam instituit. —

VI. LAGOPHTHALMUS.

In scriptis Hippocraticis hoc malum tanquam symptoma gravissimi morbi commemoratur. — Demosthenes Philalethes 5) instituit operationem lagophthalmi sectione semilunata, cornubus ejus ad cilia vergentibus. Celsus 6) vero cautelas operationis accuratius describens, id nonnunquam sub trichiasis et ectropii curatione, excisa cute, ut oculus non contegatur,

---

1) Cels. de med. lib. VII. c. 6. 7. 1.
2) Gal. Meth. medend. L. XIV. p. II.
3) Aët. Tetrab. II. Serm. III. e. 25—81.
4) P. Aeg. l. c.
5) Aetius Tetrab. II. S. III. c. 73. p. 492.
6) Cels. de med. lib. VII. c. 7. 9.

interdum etiam alia de causa evenire dicit atque optime adnotat, si nimium palpebrae desit, nulla id restitui curatione, si vero pauxillum, sanari posse. Paulo infra supercilium cutis inciditur usque ad cartilaginem tarsi lunata figura, illa ipsa nihil laesa et cornibus sectionis deorsum spectantibus. In plagam, oris ejus diductis linamentum conjicitur, quod conjungi didactam cutem prohibeat atque cicatricem magnam producat. — Galenus palpebram brevem aut pro vitio connato, aut ex perversa directione palpebrae exortam habet. Secundum Caelium Aurelianum 1) lagophthalmi, nec non blepharoptosis causa est paralysis palpebrae, quod vitium, saepius oculum concludentibus et aperientibus digitis duobus, tolli possit.

VII. ECTROPIUM.

Nomen hujus palpebrarum vitii jam notum est Hippocrati 2), qui v. g. ectropii sequelam iridem prolapsam observavit. Etiam curationem indicat: palpebrarum extrorsum versarum enim partem inferiorem praeter naturam crassae et luxuriantis carnis resecat, quantum facillime potest, dein vero palpebram adurit ferramentis non candentibus ne cilia laedantur. Crusta ubi decidit, curatio per se liquet.

Celsus 3) ectropium utriusque palpebrae optime describit; si ectropium in superiori palpebra est, palpebra parum descendit, ideoque oculum non contegit, si in inferiori, parum sursum attollitur, sed pendet et hiat, neque cum superiori committi potest. Hoc vitium saepe ex mala curatione evenire dicit; in quo casu eadem curatio est, quae lagophthalmo medetur, plagae tantum cornua ad maxillas, non ad oculum convertenda sunt. Si

---

1) Cael. Aurelian. Chron. L. II. c. I. p. 358. (ed. Amstelodami 1755. 4.)
2) Praedict. II. 12. p. 133.
3) De medic. lib. VII. c. 7. 10.

vero ex senectute est, tenui ferramento id totum extrinsecus adurere et medicamentis ad cicatricem perducentibus inungere suadet. —

Galenus 1) palpebrae inferioris inversionem ad exteriora aut ex vulnere, aut ex carne superflua in tarso et conjunctiva palpebrali derivat. — Antyllus 2) methodum Celsianam tantum adhibere suadet, si cicatrices palpebrae externam cutem breviorem faciunt et eversionem palpebrae inducunt. Ectropio vero ex aliis causis orto, sectionem V formem in parte palpebrae interna instituit vulnusque, cute excisa, sutura cruenta conjunxit. Paulus Aegineta 3) in ectropio curando, ubi substantia superflua et luxurians in causis est, per latus interius ab altero ad alterum palpebrae angulum acum transsuit, et comprehensam sublatamque partem sub ea abscidit. Si hoc non sufficiat, methodum Antylli perfici et si cicatrix causa sit, eam persecari orasque vulneris auferri jubet.

VIII. ENTROPIUM.

Veteres medicos hunc morbum jam novisse, ex scriptis eorum relictis apparet. Attamen ex hisce scriptis medicis, eosdem saepe entropium cum trichiasi confudisse, intelligimus. Veteres ad perficiendam operationem duas methodos in operibus suis tradiderunt. Prima operatio id molitur, ut aliqua pars integumentorum palpebrae, affluxu sanguinis impedito, emoriatur et hoc modo laxitas palpebrae coërceatur. Secunda methodus autem instrumento acuto cutim excidendam et parte cutis excisa oras vulneris uniendas et ad cicatricem perducendas esse docet. —

Celsus 4) primus secundam operationem jam accuratius

1) De oculo c. 9. p. 374.
2) Aëtius Tetrab. II. Serm. III. c. 72. p. 488.
3) P. Aeginet. Opp. lib. VI. c. 6—20.
4) De medic. l. VII. c. 7. 8.

fusiusque descripsit, quippe qui, bene de entropii natura eruditus, hunc morbum, ab aliis auctoribus etiam „phalangosis“ nominatum, a trichiasi distingueret. Methodus qua ille usus est, norma dici potest, quam chirurgi omnis aetatis, resectionem partis cutis pro auxilio praestantissimo habentes, in administranda operatione semper sequebantur. Ille auctor nempe, oculo tecto, mediam palpebrae cutem digitis apprehendi ac levari jubet, tunc per duas lineas atramento notari, quantum, cute ita levata et detracta, ut palpebra in situm naturalem redeat, excidendum sit. His institutis, scalpello cutis inter duas lineas atramento notatas sita, exsecanda est. Deinde orae vulneris simplici sutura inter se committendae, oculusque operiendus. Quod autem ad suturas pertinet, non plures tribus esse debere notavit. Hunc numerum suturarum a Celso praescriptum, etiam chirurgi semper consecuti sunt. Aëtius 1) fere eodem modo nunc operationem perfecit, tamen, quod partem exscindendam attinet, a methodo Celsiana deflexit. Etenim incisionem, quae margini orbitali propior est, semilunatam, quae vero ad tarsum spectat, rectam instituendam esse docet, quoniam hac ratione curatio melius contingat.

Ex illis, qui primae operationi favebant, eamque in usum vocabant, praecipue commemorandi sunt: Pedanius Dioscorides, 2) qui arundine fissa cutem summam tam diu compressit donec pars compressa emortua decederet; et hac ratione entropium curavit. — Paulus Aegineta 3) fere eadem operatione usus, instrumentum huic aptum descripsit, quod mydion blepharocatochon nominavit; operationem in palpebra superiori etiam anarrhaphen, in inferiore catarrhaphen appellat. —

Hac operatione peracta secundariam curationem bene gu-

---

1) Aëtius l. c.
2) Dioscorides, de facile parab. med. L. I cap. 52.
3) P. Aeginet. de arte med. L. VI. cap. 8.

bernari oportet; quare Celsus, ne prius vulnus ad cicatricem perducatur, quam granulatio sufficiens et idonea vulneri sit innata, palpebram emplastrorum glutinantium ope extrorsum versam retinet, Paulus Aegineta hoc bene respiciendum esse putavit et hamulo, aut digitis ipsis, ad hanc versionem perficiendum uti suasit. — Alii chirurgi, illos secuti, hanc methodum summo cum fructu exercuerunt. —

IX. TRICHIASIS ET DISTICHIASIS.

Synonyma hujus morbi sunt: trichosis, phalangosis, distichiosis. Veteres medici trichiasin cum entropio saepe confuderunt. —

Jam Hippocrates 1) morbum bene novit et hoc vitium ciliorum manu corrigendum scribit. Immittit nempe per summum superioris palpebrae marginem acum, quae ex foramine filum habet aliudque sub hoc inferne transjicit, fila tunc extensa colligit et attrahit, donec decidant; quod autem opus ubi non cedit, iterari jubet. In hoc loco prima ligaturae notitia invenitur. — Haec vero trichosin curandi ratio potius in entropio quam ad cilia, oculum irritantia, corrigenda, utilis esse videtur. — Heraclides Tarentinus 2) forsan ita curavit, ut cilia extrorsum agglutinaret; Galenus enim plura emplastra glutinantia, ab eodem inventa, descripsit. —

Celsus 3) methodos duas memoriae prodidit, quarum altera tantum palliativa est, reproductionem ciliorum enim arcere nequit, sicuti aliorum veterum rationes curandi, quas infra explicabo, altera methodo vero orae palpebrae, utpote solum, ex quo cilia proveniunt, destruuntur. Hic auctor, qui istam methodum summo cum fructu se perfecisse asseverat, acum te-

1) De diaeta in acutis sect. IV. p. 406.
2) Galen. Comp. med. lib. IV.
3) De med. L. VII. cap. 7. 8.

neum, ferream, candentem, hastae instar latam, palpebra sic sublata, ut ejus pili in conspectum curantis veniant, sub ipsis radicibus pilorum ab angulo immittit, ut ea tertiam palpebrae partem transsuat, deinde ter quaterve ad alterum angulum. Hac operatione oram palpebrae candente instrumento quasi abscindit. — Methodo altera acus transsuitur juxta pilos per exteriorem partem palpebrae, eaque transmittitur duplicem capillum muliebrem ducens, atque ubi acus transiit, in ipsius capilli sinum, qua duplicatur, pilus est conjiciendum, et per eum in superiorem palpebrae partem attrahendus, ibique corpori agglutinandus et imponendum medicamentum, quo foramen glutinetur. Celsus vero ipse methodum rejecit, quia id primum fieri non possit, nisi pilo longiore, et deinde si plures pili sint, longum tormentum toties acu trajecta magnam inflammationem moveat necesse sit, tandemque medicamentum glutinans facile solvatur, ut res raro bene cedat. —

Nonnulli medici, de necessitate cilia auferendi persuasum habentes, eorum resectionem et evulsionem praetulerunt. Ad hoc perficiendum, palpebram a bulbo oculi aliquantum retrahebant et quasi extrorsum vertebant, cilia autem singula arrepta volsella evellebant; sic Dioscorides 1) praecipit. Attamen cilia denuo crescentia hanc operationem iterari jusserunt, quare remedia, ciliorum reproductionem arcentia quaerenda fuerunt. Quibus consideratis, a Papia Laodicaeo 2) contra naturam pilis crescentibus diligenter evulsis, impositoque emplastro piceato, ut reliqua cilia extrahantur, Chamaeleon rasum (Carlina acaulis L.), cui sanguis ranarum adjectum erat, adhibitum est. Galenus variorum externorum medicamentorum, v. s unguenti irritantis, cum helleboro et sanguine ranarum usto mixti, quo

1) Dioscorides l. c.
2) Galenus, Compos. med. L. VI.

Papius Laodicaeus summo cum fructu usus est, etiam mentionem fecit. —

Paulus Aegineta 1) acu candente, pilo evulso, bulbum ejusdem corrumpi putavit. Idem auctor, Celsi methodum per pilum injectum ansatum repetens, illi simul proprium nomen impertit, nam 'αναβρυχισμόν s. evulsionem per ansam appellat; longe vero utiliorem illa ustionem dicit. Idem etiam ciliorum introrsum conversorum repositione et in situ normali retentione effici curationem putavit Quare ciliorum repositionem retentionemque emplastri adhaesivi ope commendat, quo nempe cilia inversa vel cum sanis, suum situm tenentibus, conglutinantur; vel cum palpebrae integumentis externis conjunguntur. — Dioscorides cilia inversa specillo candente crispari, quod intra sex ad octo dies repetatur, satius judicavit.— Aëtius 2) vero, hoc cauterium perhorrescens, abscisionem orae palpebrae una cum tarso praeponebat; qui modus curandi methodo novissime propositae maxime respondet.

Sic ipsi veteres plures methodos commendabant ad tollendam trichiasin, quae, si pauca iis demimus aut addimus, a nostris etiam medicis excercentur. —

X. ANKYLOBLEPHARON.

Celsus 3) qui primus vitium ita describit, ut palpebrae inter se interdum coalescant, aperirique oculus nequeat, palpebras inter se cohaerentes non quidem difficulter diduci, sed interdum frustra, quia rursus glutinentur, recte adnotavit. Experiri tamen oportet, quia bene saepe res cedit. Aversum igitur specillum inserendum diducendaeque eo palpebrae, deinde

1) P. Aegineta l. c. — Rhaces de re med. L. II. —
2) Aëtius l. c.
3) De med. L. VII. c. 7. 6.

exigua penicilla interponenda sunt, donec exulceratio ejus loci finiatur. —

Quae methodus ankyloblepharon, nec non symblepharon curandi, eodem modo a medicis, qui oculis medentur, adhuc instituitur. —

XI. SYMBLEPHARON.

Hoc vitium a veteribus saepe cum priore confusum est. Interdum evenit Celsus 1) narrat, palpebram cum bulbo oculi cohaerescere, si nempe in utroque fuit ulcus negligenter curatum; sanescendo enim, quod diduci potuit et debuit, glutinavit. Heraclides Tarentinus, 1) adhaesionem palpebrae cum oculo caute adverso scalpello separari suadet, ut neque oculus, neque palpebra laedatur. Tum medicamenta oleosa inungi atque quotidie oculum diligenter aperiri et moveri jubet, ne concretio rursus fieri possit. — Meges 1) quoque hanc operationem saepe quidem fecisse dicitur, sed frustra, quia palpebra cum oculo iterum conglutinaverit. Celsus ipse tali modo restitutum neminem novit. — Galenus 2) symblepharon, frequentem sequelam vulnerum observans, id salpello subsecare et medicamentis adstringentibus distinere praescribit. Idem fere Aëtius 3) faciendum suadet, dum scalpello partes concretas dissolvit. —

XII. EXSTIRPATIO CARUNCLAE LACRYMALIS. S. ENCANTHIDIS.

Encanthis est, ut a Celso 4) definitur, tuberculum in angulo oculi, quod palpebras parum diduci patitur, ex perversa pterygii curatione et quoque ex aliis causis proveniens. Carunculam

1) Cels. l, c. cap. 7. 6.
2) Galen. de oculo T. III. p. 374.
3) Aët. l. c.
4) De med. l. c. cap. 7. 5.

excipere hamulo et circumcidere temperata manu, ne quid ex ipso angulo abscidatur, dein exiguum linamentum imponere commendat. — Galenus 1) encanthidem benignam et malignam distinguit; tumorem enim in oculi angulo describit durum, ad supercilia saepe adscendentem, gravissimis doloribus conjunctum; quae descriptio ad carunculam scirrhosam aptissime transfertur. Caeterum tumorem sectione removit. Aëtius 2) malum aut per sectionem, aut per ligaturam tollit. —

XIII. FISTULA LACRYMALIS.

Veteribus de fabrica atque usu viarum lacrymalium modo obscura, minime perspicua contigit cognitio; quid quod canaliculos lacrymales pro fistulosis meatibus, saccum autem lacrymalem pro sinu cujusdam fistulae habuerint! — Quamquam medici Alexandrini operationem primum perfecisse dicuntur; tamen ex illo tempore scripta non supersunt. — Celsus 3) malum ita describit: „in angulo, qui naribus propior est, ex aliquo vitio quasi parva fistula aperitur, per quam pituita assidue destillat, αἰγύλωπα Graeci nominant. Idque assidue male habet oculum, nonnunquam etiam exeso osse usque ad nares penetrat. Atque interdum naturam carcinomatis habet, inflammationemque in eas partes, quae conjunctae sunt, evocat." Haec definitio, quae potius fistulam sacci lacrymalis significat, ab ea Galeni 4) dissentire non videtur. Hic enim aegilopa nominat ulcus inter oculos et nares, quod neglectum provocat fistulam et ossis cariem efficit, pure demum per nares effluente. Aegilopem veterum differre esse ab eo recentiorum, ex utraque descriptione plane elucet. Aegilops enim recentioribus auctori-

1) De oculo cap. 8.
2) Aëtius l. c.
3) Cels. l. c. cap. 7. 7.
4) De usu part. T. III. p. 375.

bus est ulcus, quod ex anchylope, tumore inflammatorio telae cellulosae in regione sacci lacrymalis, ad suppurationem valde prono, exoritur. —

Celsus fistulae lacrymalis curationem, quanto propius foramen est angulo, tanto difficiliorem habet: attamen fistulae recenti mederi facilius esse dicit. Hamulo summum ejus foraminis excipitur, deinde totum cavum usque ad os exciditur. Si vehementius os carie vexatum est, oculo ceterisque junctis partibus bene obtectis, id ferramento aduritur; a quibusdam caustica imponuntur, teste Celso, ut chalcis vel aerugo rasa, quod vero tardius et non idem faciat. — Galenus etiam manu curandi modum cognovit. — Fere eodem modo Aëtius 1) ferrum candens applicat, quam Celsus. — Praeter hunc modum, medicamentis causticis fistulam lacrymalem curandi, illo tempore alia methodus, foeda memoratu; in usum vocata est, qua scilicet, fistula incisa, plumbum liquefactum in os nudatum infundebatur. Archigenes Apomaeus 2) qui illam methodum tradit, os lacrymale terebra parva perforari et unguentum cephalicum (ex cupro sulphurico, myrrha et ammoniaco) super imponi, melius esse dicit. Denique Paulus Aegineta 3) tamdiu adurit, quam squama abscedat; attamen quosdam esse dicit, qui terebrae auxilio humorem effluentem in nares derivare tentaverint. —

Curationem fistularum lacrymalium per plura secula ab illis tribus methodis veterum, scilicet ab applicatione cauterii actualis et potentialis, atque terebratione ossium, medici petierunt. Terebratio, seu perforatio ossium a recentioribus iterum tentata est. — Hanc ab initio simplissimam operationem novis-

---

1) Aëtius l. c.
2) Galen. de compos. med lib. IV, p. 224.
3) P. Aeginet. l. c.

simis temporibus nonnullos experientissimos medicos ad pristinam simplicitatem reducere coepisse, memoratu dignum est. —

XIV. EXTRACTIO CORPUSCULORUM EX OCULO.

Jam Hippocrates 1) se ipsum cuspidem excidisse ex palpebra profunde injectam, narrat. Curtius 2) nominat Critobolum quendam, inter medicos valde celebratum, qui ex oculo Philippi, regis Macedoniae, sagittam extraxerit et lumen inde amissum restituerit. Demosthenes Philalethes 3) corpora aliena ex oculo digitis vel medicamentis attrahentibus, v. g. melle, exemit. Calcem vivam albumine ovi vel oleo rosarum, non aqua, eluere suadet. — Aëtius 4) assulas oculo infixas vulsella extraxit, vel, si hoc non bene cederet, specillis duobus expressit, et si hoc etiam hoc fieri non posset, suppurationem exspectavit. —

XV. PTERYGIUM.

Celsus 5) hoc etiam vitium primus memoriae tradidit, cujus descriptionem curationemque egregie exposuit. Unguis, inquit, quem πτερύγιον Graeci nominant, est membranula nervosa, oriens ab angulo, quae nonnunquam ad pupillam quoque pervenit eique officit. Saepius a narium, interdum etiam a temporum parte nascitur. Pterygium recens non difficile esse sanatu medicamentis, si vero inveteraverit, jamque ei crassitudo quoque accesserit, excidi debere, optime adnotat. In sedili, vel adversus contra medicum homo collocatur, vel sic aversus, ut in gremium ejus caput resupinus effundat. Quidam,

---

1) De morb. vulg. S. V. p. 245.
2) Curt. rer. gest. Alexandr. IV. 5. 5. 25.
3) Aëtius Tetrab. II. S. III. c. 73. p. 492.
4) Aëtius l. c.
5) De med. l. c. cap. 7. 4.

si in sinistro oculo pterygium est, adversum, si in dextro, reuspinum collocari volunt. Alteram autem palpebram a ministro diducei oportet, alteram a medico. Sed ab hoc, si ille adversus est, inferiorem, si supinus, superiorem. Tum idem medicus hamulum acutum, paulum mucrone intus recurvato, subjicere extremo ungui debet, eumque acu trajicere linum trahente. Deinde acum ponere, lini duo capita apprehendere et per ea erecto pterygio, si qua parte oculo inhaeret, manubriolo scalpelli diducere commendat, donec ad angulum veniat. — Dein lini capita invicem modo remittenda, modo attrahenda sunt, ut sic et ejus initium et finis anguli reperiatnr. Tandemque scalpello membranula caute exciditur. Simul auctor recte monet, ne vel ex pterygio aliquid relinquatur, vel ex caruncula lacrymali abscindatur, quia, hac abscissa, fistula lacrymalis facile oriatur. — Operatione perfecta, linimentum ex melle, supraque linteolum imponere et proximis diebus oculum quotidie diducere, ne cicatrice inter se palpebrae glutinentur atque novissime inungere collyrium, quo ulcera ad cicatrisationem perducantur, optime suadet. —

Hoc loco Celsus etiam de operationis tempore loquitur, duo genera curationum statuens. Alterum, in quo eligere tempus non licet, sed utendum est eo, quod incidit, sicut in vulneribus et in fistulis, alterum, in quo nullus dies urget, sicut evenit in iis, quae tarde increscunt et dolore non cruciant; in his ver et autumnus aestati vel hiemi praeferendi sunt. Quo magis autem necessaria pars est, quae tractabitur, et quo majori periculo subjecta est, eo magis tempus respiciendum est.

Galemus 1) etiam pterygium recens medicamentis discutientibus, si vero inveteratum est, operatione removeri jubet. — Aëtius 2) fere eodem modo Celsi methodum ex-

---

1) Introduct. s. medicus pars IV.
2) Aëtius l. c.

secutus est, tantum eo aberravit, quod ante operationem hamulo obtuso palpebram superiorem a ministro levari jubet. —

Pterygium a recentioribus nunc simplicius exstirpatur, attamen secundum methodum Celsianam operationem institutam vidi. —

XVI. CARUNCULAE BULBI OCULI, SEU CLAVI.

Celsus 1) clavos vocat callosa in albo oculi quibus nomen tubercula, a figurae simitudine est. Hos ad imam radicem acu perforandos infraque eam excidendos deinde leuibus medicamentis inungendos suadet. — Aëtius 2) omnes excrescentias albidas scleroticae hamulo apprehendi et abscindi jubet; rubrae vero, varicosae tumidaeque non tangi debent, quia prolapsus partium internarum, illis excisis, facile sequatur. — Clavi sunt sine dubio carunculae bulbi oculi, seu epanastemata recentiorum.

XVII. STAPHYLOMA.

Hippocrates 3) staphyloma novisse videtur, dicens tunicam externam crasissimam laesam, morbum movere, mediam vero etiam, ubi rupta fuerit, periculi plenam esse et foras vesicae ad instar propendere. Attamen nullus auctor nomine „staphyloma" utitur. Celsus 4) igitur primus est, qui hunc morbum describit, ut sequitur: „in ipso autem oculo nonnunquam summa attollitur cutis, sive ruptis intus membranis aliquibus, sive laxatis, et simlis figura acino sit, inde id σταφύλωμα Graeci vocant." — Hic auctor simul curandi methodum explicat, quae a recentioribus non solum exercetur, sed etiam unicum praebet auxilium. Curationis methodum duplicem proponit: vel ad ipsos radices

---

1) De med. l. c. cap 7. 12.
2) Aës. l. [illegible].
3) De lo[illegible] hom. S. 14. p. 138.
4) De med. l. c. cap. 7. 11.

per medium transsuitur acus, duo lina ducens, deinde alterius lini duo capita ex superiore parte, alterius ex inferiore adstringuntur inter se, quae paulatim secando id excidunt; vel in summa parte staphylomatis ad lenticulae magnitudinem excidi, deinde medicamenta emollientia imponi jubet. Methodus curandi secunda a multis medicis nuperioribus perficitur. —

Galenus quidem locis variis commemorat staphyloma, sed dubium est, quid hoc nomine significet. Haec habet: 1) staphyloma is est oculi morbus, cum in summa tunica quiddam acino simile eminet. Alia loca tam obscura sunt, ut ad varias explicandi rationes occasionem dederint. — Alio loco 2) staphyloma dicitur, quando oculi pupilla cum inflammatione et dolore attollitur, et album acino uvae simile redditur. Caeterum Gallenus staphyloma per sectione aut ligatura tollit. — Strictius fusiusque methodus curandi ab Aëtio 3) describitur. Staphyloma enim, ubi prominentia magna tantum, cornea vero non laesa, humoribus inter lamellas corneae accumulatis, provocata est, curam non admittit. Staphylomata vero, ubi partes internae per vulnera corneae prolapsae sunt, sanari possunt; difficilius vero, quae basi latae insident. In iis, quae basi tenui instructa sunt, aegroto resupino jacente, altera acus fila ducens ad perpendiculum, altera in plano transuitur, deinde capita cujusque lini adstringuntur et apex staphylomatis scalpello absciditur; basis vero subligata relinquitur, ne humores egrediantur. Hoc modo operatio sine doloribus magnis perficitur celerius, ac si tantum ligatura imponatur. —

Paulus Aegineta 4) staphyloma eminentiam corneae laxatae cum iride, partim effluvio humoris aquei, partim suppura-

---

1) Gal. meth. med. 1. 2.
2) Introduct s. med. cap. 15.
3) Aët. l. c.
4) P. Aeginet. med. op. Lib. III. cap. 22. L. VI. cap. 19.

tione exortam, appellat. Alio loco prolapsum iridis per corneam perforatam staphyloma sine dubio nominat, et varios gradus: myocephalon, melon et clavum constituit. Ille auctor, staphyloma ligaturae ope tollens, aptissime monet, operationem ejusdem institui, non ut abolitum visum restituamus, sed ut moderatum aegroto decorem conciliemus. —

XVIII. CATARACTA.

A veteribus hoc malum etiam hypochysis, suffusio, gutta serena, appellatum est. Galenus 1) tradidit operationem cataractae per capras, quae oculos suffusos junci punctu (Juncus acutus L.) curaverint innotuisse. Fortasse capra per allegoriam in locum Aesculapii cujus fabulae adnumeratur, substituta est, ut igitur operatio cataractae ab eodam originem fortasse ducat, et propterea admodum antiqua sit. — Hippocrates cataractae nunquam mentionem fecit, attamen verisimile est, eum novisse morbum et glaucomatis nomine significasse; quod glaucoma et hypochyma, s. suffusionem, veteres unum mali genus esse existimarunt. Hinc ratum est, Hippocratem suffusionem ipsam etiam in scriptis nominasse et intellexisse. — Medicorum Alexandrinorum quidam erant, qui tantum operationes ophthalmiatricas instituerunt. Celsus 2) Philoxenum quendam celeberrimum ocularium Alexandrinorum medicorum appellat. Galenus 3) diserte dicit: Alexandriae et Romae esse medicos, qui operationem cataractae tantum perficiant. —

Veterum autem vulgo de sede existimabant, cataractam locum suum habere in humore aqueo, nunc ante, nunc post pupillam et iridem, causamque proximam ejus dare pelliculam quandam in dicto humore genitam, quae foramen pupillae occlu-

---

1) Galle. Isagog. p. 100.
2) De med. 1. c. cap. 7. p. 246.
3) Galen. de part. art med. c. 2. p. 16.

dat et radiorum lucis ingressum ad humorem crystallinum arceat. Nam Celsus dicit: si concrescit humor sub duabus tunicis ille loco, qui vacuus est, isque paulatim indurescens interiori potentiae, per quam cernimus, se opponit. — Galemus 1) vero ad veritatem propius accessisse videtur, scilicet suffusionem inter humorem crystallinum et tunicam corneam jacere et ita visum perturbare tradit. Etiam Paulus Aegineta 2) perhibet: glaucoma et hypochyma antiquiores unum eundemque morbum habuisse, recentiores vero suffusionem partium inter corneam et humorem crystallinum morbum putare. —

Celsus suffusionem ex morbis et ex laesione mechanica ortam distinguit. Etiam de maturitate suffusionis loquitur, quare exspectandum sit, donec duritie quadam concrevisse videatur. Ad prognosin augurandam praecipue suffusionis colorem respicit et in duas species dividit, scilicet in sanabiles et in eas, quae curationem non admittant. Si suffusio exigua est, immobilis, colorem habet marinae aquae, vel ferri nitentis et a latere sensum aliquem fulgoris relinquit, spes superest. Si vero magna est, si nigra pars oculi, amissa naturali figura, in aliam vertitur si suffusioni color coeruleus est, aut auro similis, si labat, et hac atque illac movetur (cat. tremula), vix unquam succurritur. Aetatem semilem curationi minus idoneam esse, quam mediam, non satis recte monuit. De curatione Celsus dicit, suffusionem nonnunquam inter initia discutiendam, inveteratam autem semper manu curandam esse. Nec non Galenus initio cataractam discutere suadet. —

Nunc ad operationem ipsam transeamus. Methodi operandi, ab antiquis institutae, sunt tres: scilicet depressio, discisio per scleroticonyxin et extractio, quae ad hunc usque diem, magis

---

1) Galen. de usu part. X. 1. p. 354.
2) P. Aeg. l. c.

excultae, adhuc florent. Eximiam descriptionem depressionis et discissionis invenimus in libris Celsi, qui ipse operationem, primus omnium veterum eam commemorans, inter subtilissimas habet. Omnia praecepta et cautelas quoque ita proposuit, ut vix, nisi ad res subtilissimas confugiamus, alterius quidquam desideretur. — Ante operationem aegrotus diaeta parca uti et pridie ab omnibus abstinere debet. Aegroti collocatio a Celso descripta universim hodie quoque in usu est. „In adverso enim sedili collocatur, loco lucido, lumine adverso, sic ut contra medicus paulo altius sedeat, a posteriori autem parte caput ejus qui curabitur, minister contineat et immobile id praestet. Nam levi motu eripi visus in perpetuum potest. Quin etiam ipse oculus, qui curabitur, immobilior faciendus est, super alterum lana imposita et deligata. Curari vero sinister oculus dextra manu, dexter sinistra debet. Tum acus admovenda est, aut acuta, aut forte non nimium tenuis, eaque demittenda, sed recta, est per summas duas tunicas medio loco inter nigrum oculi et angulum tempori propiorem e regione mediae suffusionis, sic, ne qua vera laedatur. Neque tamen timide demittenda est, quia inani loco excipitur. Ad quem cum ventum est, ne mediocriter quidem exercitatus penitus falli potest, quia prementi nihil renititur. Ubi vero eo ventum est, inclinanda est acus ad ipsam suffusionem: leviterque ibi vertenda et paulatim deducenda infra regionem pupillae; ubi deinde eam transit, vehementius imprimenda, ut inferiori parti insidat. Si haesit, curatio expleta est.“ — Si subinde redit, auctor discisionem cum depressione conjungere suadet. Cataractam nempe eadem acu concidi et in plures partes dissipari jubet, quae singulae facilius conduntur et minus late officiunt. Post haec educenda est acus recta, imponendumque lana molli exceptum ovi album et supra, qnod inflammationem coerceat, atque ita devinciendum. Post operationem opus est quiete, abstinentia, lenium medicamentorum

inunctionibus. Galenus 1) etiam indicat, quamvis verbis brevibus, operationem, qua cataracta manu curatur et imperat ut acus per amplissimum spatium sursum ac deorsum, hac atque illac, et in orbem circumagatur, ita tamen ut partes vicinae non laedantur; perhibet etiam, suffusiones acu deprimendas esse. — Pupillam illato plantarum succo dilatandi ars, quae recentiorum inventio haberi solet, veteribus debetur. Plinius 2) enim Anagallidis vim ad dilatandam pupillam dum laudat, monet etiam, ejus succum antea inungi iis, in quibus cataractae operatio insti tuatur. — Paulus Aegineta 3) operationem secundum methodum Celsianam fecit: bonam vero methodum, cataractam enim pupilla dilatata rectius indagandi, adjecit. Oculus suffusione tentatus, inquit, si concluditur et palpebra digito ad oculum premitur eique adducitur, simul vero hac et illac exprimitur, in oculo post haec aperto et attentius adspecto, suffusionem clarius conspicimus. Antyllus 4) eodem modo Celsi depressionem fere perfecit, tantum eo aberravit, quod acum, ne grano hordei profundius penetret, filis circumplicare atque omnino tantum operationem, nisi lens crystallina cum iride concreta sit, instituere suadet. —

Extractio cataractae pro inventione saeculi superioris, in dies magis exculta, haberi solet; attamen constat, operationem Graecos et Arabes non tantum cognovisse, sed etiam cum eventu secundo jam exercuisse. Antyllus 4) enim, sub finem saeculi secundi post Christum vivens hanc methodum accurate describit, fere his verbis: cornea aperta, acus tenuis per sauciatam corneam et pupillam deducitur ad lentem crystallinam, quae perforata agitationibus variis ex oculo trahetur. Aegrotum su-

---

1) De usu part. X. 1—6.
2) Plinius Hist. natur. VIII. 76.
3) P. Aeginet. L. VI. c. 21. p. 182.
4) Rhaz. comtin. lib. II. c. 3. f. 41. (ed. Venet. 1529 fol.)

pinum pertriduum oculis conclusis et penicillis linteis, oleo rosarum humefactis, et albumine ovi obtectis, cubare oportuit. Lathyrion 1) quidam, qui extractionem cataractae praeferebat depressioni, eandem methodum operandi exercuisse dicitur. Illo tempore sedes vera cataractae jam cognita fuisse videtur, Rufus 2) enim glaucoma a suffusione distinguit. — Mox de utilitate cataractae extrahendae et deprimendae cogitatum atque existimatum est, extractionem tantum perficiendam esse, cum cataracta parva sit. Rhasez 3) enim dicit: „Et aliqui aperuerunt sub pupilla et extraxerunt cataractam, et quod poterit esse, quum cataracta est subtilis, et quum est grossa, non poterit extrahi, quia humor egrederetur cum ea.“ Avicenna 4) dicit: „Et homines quidem habent vias diversas in exercendo curam cataractae, quae fit cum instrumento ita, ut quidam sint, qui disrumpant inferiorem partem corneae et extrahunt aquam (lentem crystallinam) per eam, et hoc est, in quo est timor, quoniam cum aqua, quando est grossa, egreditur humor vitreus.“ —

1) Rhaz. i. b.
2) P. Aeginet. lib. III. c. 22. p. 77.
3) Rhaz. l. c.
4) Avicenn. can. lib. III. fen. III. tr. 4. p. 353. ed Rin. Basil 1556.

VITA.

Natus sum Alexander Guilelmus Gross, confessioni evangelicae addictus die XXXI. Decembris anni MDCCCXIII. Petrowaldaviae, Silesio pago, patre Ernesto, matre Rosalie e gente Wenzel, quibus parentibus carissimis ut longissima atque felicissima vita contingat, ex intimo pectore precor. Literarum elementis imbutus sum in gymnasio Suidnicensi et Goerlicensi, quod professore, Ill. Dr. Anton adhuc floret, unde, maturitatis testimonio munitus, almam Viadrinam petii et a rectore magnifico. Ill. Schultz in civium academicorum numerum receptus, a Decano Ill. Purkinje in album facultatis medicae inscriptus per annos tres et dimidium hisce lectionibus interfui: Ill. Benedict de arte ophthalmiatrica, de chirurgia et akiurgia atque de usu fasciarum et machinarum, Ill. Betschler de scientia, nec non de arte obstetricia, Celeb. Burchard de operationibus obstetriciis, Ill. Elvenich de psychologia, Ill. Fischer de chemia generali, pharmaceutica, organica et reagentibus. Ill. Glocker de mineralogia. Ill. Goeppert de plantis officinalibus, Ill. Gravenhorst de zoologia, Ill. Henschel de encyclopaedia medica, de botanice et phytotomia, Ill. Otto de osteologia et syndesmologia, de anatomia corporis humani, nec non de anatome comparata, et hominum et brutorum pathologica, de historia foetus atque de arte cadavera rite secandi, Ill. Pohl de physice et phaenomenis electromagneticis, Ill. Purkinje de pathologia tum generali quam morborum psychicorum, de physiologia theoretica et experimentali, et de historia experimentis microscopicis illustrata, Ill. Remer de therapia generali et speciali. Ill. Remer

junior de morbis syphiliticis, de operationibus ophthalmiatricis, Celeb. Rhode de Ciceronis oratione Philipp. II., Ill. Seerig de fracturis et luxationibus, Celeb. Seidel de materia medica, de arte formulas medicas concinnandi, atque de magnetismo animali, Ill. Wendt, de morbis infantum de cachexiis et de exanthematibus, Ill. Wachler de vita et scriptis Lessingii, Ill. Thilo de logice. Praeterea scholis clinicis medicis, Ill. Remer, chirurgicis, ophthalmiatricis, Ill. Benedict, per tria, et obstetriciis, Ill. Betschler per duo semestria interfui. — Ineunte autumno anni MDCCCXXXVI. Universitatem litterarum Fridericam Guilelmam adii et ab Ill. Busch t. t. rectore magnifico, numero civium academicorum, ab Ill. Wagner h. t. Decano, albo medicorum sum adscriptus. Per Semestre hasce praelectiones frequentavi: Ill. Barez clinicen morborum infantilium, Ill. Rust clinicen chirurgicam, Ill. Wagner medicinam forensem theoretico-practicam.

Quibus omnibus viris optime de me meritis maximas, quas possum, gratias habeo semperque habebo. —

Jam vero tentamine et examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, Doctoris Medicinae et Chirurgiae honores in me conferantur. —

THESES.

1. Ars ophthalmiatrica omnium medicinae partium maxima gaudet securitate.
2. Extractio cataractae ejus depressioni et reclinationi praeferenda est. —
3. Aegrotum, non morbum, curemus necesse est.
4. Omnia instrumenta artificialia ad rumpenda foetus velamenta sunt supervacua.